



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
lesv De Adoratione In Spiritv Et Veritate Libri Qvatvor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Cap. IV. Quomodo veritas per fidem constet. Et de fructu & vsu huius
virtutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

Fortiter aude, vt thesauris spiritualibus potiaris:repentè spectra difficultatum disparebunt. Virili corde inuade, fruiturus, sine æquâ molestiâ, arcanâ dulcedine vitæ spiritualis. Mella laborant apes, sub deformi subere latentes.

CAPVT IV.

Quomodo veritas per fidem constet. Et de fructu & vsu huius virtutis.

IN mendacijs ambulat, non in veritate nec in spiritu, qui non ambulat in fide. Procul à sensu habitat veritas. Hæc cælestis planta non floret in terrâ ; non alitur sanguine & carne ; non nascitur inter stercora materialium. Passim decipimur in bonis corporalibus ; & his ipsis, quæ corporis intuemur oculis, & manibus contrectamus. Remus integer, in aquâ videtur fractus : turris quadrata, rotunda videtur dissitis : lux ipsa solis, quæ est tota fides oculorum, sæpè fallit illos, fingens colores qui non sunt : quomodo non seducemur in rebus animæ & spiritualibus, quas non videmus ; & diuinis, quæ extra humanum sunt captum ? Totum humanum genus mendacij tenebris caligabat, velut in specu, sine vllâ fenestrâ aut rimulâ, per quam leuissimus radius posset illucere : ipsi Philosophi præclariores, solum sciri dicebant
omnia

omnia mendacia esse; aut scientiam vnicam esse, nihil scire: adeò laborabant vanitate, vt solum de cælis optarent remedium. Quidam illorum putabat magistrum veritatis dumtaxat posse esse aliquem Filium Dei: ecce iam tu Fili Altissimi, ecce tu Veritas æterna, ecce tu Sapientia Patris, è cælo descendisti, ô lux mundi, vt illuminares illum, vt nos doceres veritatem; cur homines tantum beneficium non æstimant, & fidei bonum contemnunt? Quid refert credere verum, si simus nos falsi? Salutaris veritas est bona actio; & verbum verum factum verbi. Verbum Dei caro factum est, vt opus hominis fiat veritas, quia veritas Dei opus facta est.

Mendacium & vanitas est, quod non est iuxta doctrinam IESV: cur vsum huius beneficij negligimus, solum contenti mortuo modo credere? Magnum fructum Fidei haberemus, si sciremus vti, & iuxta illam operaremur vt debemus, plus quàm si acie oculorum viderentur ea quæ affirmat. Omnes per fidem credunt vera: sed oportet credere verè; quod non videntur omnes facere. Si credis, ô proterua anima, quæ Christus dixit, consequenter operare. Si est verum, quod Iesum oportuerit pati vt intraret in gloriam suam: si est verum, quod Deus prouideat omnia in bonum iustorum: cur affligeris in

leuibus laboribus & calamitatibus? cur putas iacturas, quod de Fide est, esse lucra animæ maxima, dum patiens sis. Si credis id esse verum, vt verè est, potiùs debes gaudere, & te solari. Si oculis carnis Prophetam aliquem sanctissimum, vt Dauidem aut Ioannem Baptistam, cerneres resuscitatum, vel Angelum de cælo venientem, vt tibi ex parte Dei annuntiaret, esse voluntatem diuinam vt ferres hanc ærumnam patienter, quoniam tibi futura esset magno bono & lucro, nõne hoc sufficeret, vt cõpesceret impatientiam tuam? imò vt excitaret simile gaudium, atque Apostolis, qui ibant gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati? cur modò non te sustines? Illud nuntium miraculosum non deberes putare tam certum, vt est documentum fidei: nam liceret interdum dubitare tunc, cum posset te illudere spiritus malus; & tu falli in sensibus tuis. Igitur si veritas hæc ex fide certior sit, quàm si Angelus de cælo euangelizaret tibi, cur minùs te debeat commouere? Cognitionis certitudinem & rei conscientiam sequitur modus operandi, & iuxta excellentiam notitiæ debet esse præstantia operis. Quare qui ambulare in veritate vult, suæ gressus vitæ & actiones conformes faciat suæ fidei; nec tantùm vera credat, sed verè, ne
ridi-

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. I. 21
ridiculus Angelis fit, & socius dæmonum,
qui etiam credunt sine operibus.

Quid prodest scire viam cæli, si non ambulas? Sciunt melius spiritus mali; & tamen quia consistunt, sunt dæmones. Dicit mihi, quid vtilius tibi nolle benè operari, aut dæmonibus non posse? Perinde est in plerisque nolens ac impotens: imò tibi est damnabilius & turpius, nolle cùm possis. Dæmones credunt, & contremiscunt: vtinam tu, cùm credas, timeres! Cur non contremiscis ad iudicia Dei, considerans certitudinem eorum; & ambiguitatem tuæ sortis, vel ad supplicia æterna, vel ad gaudia? Quid est, si credimus magnitudinem diuinæ bonitatis in se, immensi amoris erga nos, & summorum beneficiorum eius, cùm non respódeamus amore nostro, fidelitate & obsequiis? sed potiùs audeamus offendere vel venialiter, & non colimus & amamus omnibus nostris viribus & infatigabiliter Deum, qui omnibus viribus omnipotentia suæ creauit, & fouet nos, & perfectè ac æternè amat, & dilexit vsque in finem, & vsque ad mortem amauit? Quid est quòd semper amentes nobis, & inuercundi in suam Maiestatem sumus, siue credamus, siue non verè credamus, dum segnes & torpidi manemus? Si non credimus indubitanter, quæ maior stultitia, cùm homines

omnia credant adulatoribus, quòd ad gustum suum loquantur quæ còmoda illis sint, quàm non credere res fidei, quæ utilissimæ sunt nobis, ita esse; & maximi lucri & honoris nostri, quòd veræ sint? Quæ maior irreuerentia, quàm credere homini, cum omnis homo sit mendax, & qui falli possit; & non credere Deo loquenti nobis utilia, & ea confirmanti tot miraculis? Si verò credimus hæc, & contrà operamur; quæ maior irrisio Dei, quàm respicere bonitatem suam amabilissimam, nihili facere amorem, sanguinem, & beneficia sua, atque non timere infernum vel purgatorij pœnas, aut non sperare & desiderare ardentissimè gloriam cæli; quæ Deus magna putat, & ut magna nobis minatur, ac pollicetur, ut benè operemur? Quis maior furor, quàm exponere nos per nostram socordiam periculo amittendi gloriam, aut morandi in purgatorij ignibus?

Oportet in omnibus nostris actibus convenire rebus quas credimus; & plus affici, quàm si visu aut aliquo sensu & experimento constarent nobis. Accepisti corpus Christi, aut assistis tremendo sacrificio Missæ: si credis quòd Christus tecum aut præsens est, maiori summissione & reuerentiâ debes adesse, quàm si oculis tuis patenter conspiceres; maiori fiduciâ precari, quàm si ut sancto Ste-
pha-

phano tibi panderentur cæli, & videres hierarchias Angelorum comitantes Christum ad te descendentem, vt ab eo aliquid peteres: nam certius est per fidem venisse Christum ad altare, quàm si visu tuo illum intueris. Hoc modo curet quisque penetrare veritates fidei, ac in earum certitudine se affirmare, consequenter perinde operando. Quo modo consequenter procedis, & non tibi ipsi imponis, cum dicas plus æstimare minimam gloriæ particulam, quàm vniuersi orbis imperium; & tamen pro cælo nec vllam voluptatem tuam velis negare, & pro rebus temporalibus sine fine labores & angaris? Hoc videtur contingere non posse, nisi æstimentur plus terrestria & caduca, quàm cælestia & æterna bona.

CAPVT V.

De spe veniæ & zelo pœnitentiæ.

Qui plus bonus est, plus odit peccatum: qui plus odit peccatum, magis cupit destruere illud: plus igitur desiderat Deus dimittere peccata, quàm pœnitens ipse, qui veniam postulat. Deus magis bonus, ideo magis odit mala. Si peccator qui malus est, odit suum delictum, & vult destruere, quantò magis Deus qui optimus est? Quisque quæ

B 4 sua